

De dignoscendis peccatis

amorem accendit, quem non diligeremus, nisi prius ipse nos dilexisset: unde erigitur in secundo Adā, quod cecidit in primo. Qua propter, Sanctus Leo dicit. Diligens itaque nos Deus, ad imaginem suam reparat, & ut in nobis formam suæ bonitatis inueniat, dat unde ipsi quoque, quod operatur, operemur.

²
Peccatū un-
de dicitur
mortale.

Est autem aduertendum, secundum eundem. D. Thom. 1.2 q. 88. art. 1. quòd peccatum mortale, ex eo quod distinguitur contra veniale, non dicitur mortale, quia veniam non inuenit apud Deum: nullum enim peccatum est tam graue, quod à Deo remitti non possit: unde Caini magis peccauit, dicens, maior est iniuitas mea, quam vt veniam merear, quam quando fratrem occidit: fecit enim (sic dicens) iniuriā infinitæ misericordiæ Dei. Sed dicitur mortale, metaphoricè: sicut enim infirmitas corporalis, quæ mortem inducit per extinctionem alicuius principij intrinseci, dicitur mortalis: ita peccatum, quod est infirmitas animæ, quando tollit principium spiritualis vitæ, dicitur mortale. Principium autem spiritualis uitæ est ordo ad vltimum finem: qui ordo est charitas Dei, & proximi, secundum quam ordinamur ad Deum, vt dictum est. Illud verò peccatum, quod non est contra ordinem vitæ in finem, sed seruato fine, habet quādam deordinationem circa ea, quæ sunt ad finem, non est contra tale principium, unde veniale dicitur. Ex his sequitur alia ratio: ex eo enim quòd peccatum extinguit principium intrinsecum spiritualis vitæ. i. charitatem, est ex se irreparabile: quia non habet aliquid intrinsecum, per quo l reparari possit, nisi uirtutem Dei, quæ est principium extrinsecum. Vnde quam recte aiunt sacri Theologi, quòd homo non potest resurgere à peccato mortali, sine speciali auxilio Dei: iuxta illud Gerem. c. 3. 1. Conuerte me Domine, & conuertar: quia tu Dominus Deus meus: postquam enim conuertitimi me, egi penitentiam: ideo dicitur mortale. Peccatum autem, quod est præter ordinem ad finem: seruato ipso fine, potest per eundem reparari, unde quia ab intrinsecò reparabile est, dicitur veniale.

³
Differentia
inter pecca-
tum mortale
& veniale.

Ex his colligitur hæc differentia inter peccatum mortale, & veniale, quòd ortus actus, qui repugnat iustitiæ & charitati Dei, & proximi, de quibus data sunt præcepta Diuina, Naturalia, Ecclesiastica, & statuta humana propter bonum commune, est peccatum mortale per se, & ex proprio genere. Illi autem actus, qui non sunt contra huiusmodi præcepta, sed præter præcepta, in quantum non obseruant modum, quem præcepta intendunt, nec charitati Dei, & proximi contrariantur, de quibus dantur aliqua mandata, sunt peccata venialia, ex genere, id est ex propria natura.

⁴
Peccatū veniale
duplex pecca-
tum mortale
duplex.

Secundo notandum est, quòd peccatum veniale est duplex, sex genere, ut dictum est, & ex causa: idem de mortali dicendum est scilicet, quoddam est ex genere, & quoddam est ex causa, vt D. Tho. 1.2. q. 77. art. 1. sed ut omnia ista melius intelligantur, definiatur peccatum mortale, pro ut definit Nauar. in suo manuali, præludio. 9. nu. 7.

⁵

Verum quia (teste Philosopho) sapientes quandoque falli possunt per fallaciam æquiuocationis, & peccatum est quid æquiuocum: ideo ne fallamur & nos, antequam definiatur, distinguendum, & declarandum est, peccatum enim uarie accipitur in sacra scriptura, nam quandoque dicitur Defectus, Offensa, Maculum, Macula, Culpa, Iniquitas, Reatus, & Pœna, Delictum, & Peccatum.

⁶
Peccatū dicitur
defectus.

Dicitur, (Defectus) quatenus inuenitur in natura, vel arte: natura enim in generatione cum intendat producere tale, quale ipsum est, secundum perfectionem speciei generantis, dum autem contingit, genitum non consequi debitam dispositionem, & proportionem generantis, secundum speciem, ut accidit, quando producit monstrum, id est homo cum una manu, aut quatuor digitis, tibijs cur-